



Huldricus Zasius natus est Constantiae Anno 1461. Hic cum præstanti ingenio esset prædictus, literis operam dedit, & liberales artes facile percepit. erat insuper rara prudētia & naturali eloquētia insignis. Itaq; primo Constantiensis Consistorij notarius factus est. Eam functionem cum dextre expediret, Archigrammateus Friburgensis reipublicæ constituitur. Cum autem uideret scribas sine iuris cognitiōe infeliciter in hominum actionibus uersari, anno demum 1491 iuri operam dare coepit, sub Ioāne Cnapo, & Paulo de Citadinis Patauino professoribus Friburgēsibus. In eo studio cum magna diligentia uersaretur, eas sit tandem in Germania suo tempore tantus, quantus uix ullus alius in Italia, id quod hodie scripta eius iuridica testantur, etiam ab Italīs, parcis alioqui ultramontanorum (ut illi uocant) laudatoribus, in summo precio haberī solita. Magna fuit ei cum Erasmus Roterodamo familiaritas, id quod ex eorum epistolis patet. Cum itaq; talis esset, Fribūrgi iuris professioni præficitur: quam etiam functionem tanta dignitate & eruditione absoluit, ut illud gymnasium plurimum exornarit. Erat etiam uitæ integerrimæ, nisi quod ultimis annis uini audior fuisse dicitur: quanquam & id senectæ condonandum. Vixit enim annos septuaginta quatuor. Tandem anno 1535, octauo calend. Decemb. professionem cum uita finiuit, & in primario templo honorifice sepultus fuit. Reliquit is præclaros aliquot filios, inter quos & D. Huldricus Zasius uir iurisconsultissimus, qui ob rerum usum ad Cæsarum curiam uocatus, res maximas administrat, & etiam num hac luce fruitur. Ut autem Friburgensis magistratus se Huldrico defuncto gratum declararet, in primario templo in marmore ad monumētum eius haec uerba inscribi iussit.